

spirat Deū unicè posse amare, ac quoties id non possumus dare effectum, serio contristatur. Etenim hæc est illa vera internaq; Spiritus sancti vocatio, hæc sponsi pulsatio ad cordis ostium, unde convincimur, cor nostrum illius thalamum & cubile esse debere.

CAPUT XIII.

AMOREM DEI INGREDI, CUM amor creaturarum exit. De illustribus operibus & effectibus amoris divini in nobis.

1. Joh. 2. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

Ut amor
Dei in-
tret mū-
danus
exire
debet.

Quicumq; Dei capax illiusq; templū ac habitatio fieri desiderat, eum oportet amorem mundi exuere & ecōtra in amore divino se exercere: quia isti duo se non compatiuntur. Quemadmodum ergo magnes ferrum spirituali contactu ad se trahit, ita Deus divino suo amore hominem prius contingere debet, quē per intimam unionem secum vult coalescere. Porro amor divinus ad instar Solis, imo ipso Sole universalior est, erga omnes homines æqualiter affectus, ac proinde extra culpam: quę tota in homi-

Charitas
Dei est
universalis.